



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 211. An & qualiter parens baptizans & levans ex baptismo filium suum contrahet hanc cognationem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

illam contrahat, requiritur ut suo nomine, & non alieno levat baptizatum de sacro fonte. Covar. in epit. p. 2. c. 6. §. 4. num. 7. Sanch. l. 7. d. 59. num. 12. Sylv. v. matrim. 8. q. 7. d. 15. Barb. de potest. Episc. p. 2. alleg. 30. num. 50. Laym. cit. c. 8. num. 4. Pirh. num. 37. Castrop. cit. p. 9. §. 2. num. 14. contra Rodriq. l. c. Tolet. l. 7. c. 8. num. 6. Sotum l. c. 9. l. a. 1. Azor inst. mor. p. 1. l. 2. c. 12. Galleg. de cogn. spirit. c. 13. num. 14. Reginald. & plures alios apud Barb. cujus ratio ulterior hæc est, quam tradit Castrop. l. c. quod careat talis animo & voluntate, se in patrum constituendi; item non velit ex hoc munere suo obligationem subire instituendi baptizatum, sed illam in principalem suam rejicit; qui tamen animus & voluntas secundam dicta paulo supra omnino requiritur ad esse verum patrum & contrahendam hanc cognationem; ac denique ipse non est designatus in patrum, sed is, qui eum constituit suum legatum, procuratorem. Sed neque his obstat, quod, qui ex commissione alterius baptizat, contrahat cognationem illam; quia is adhuc verè baptizat nomine proprio tanquam verus Christi minister, etsi jurisdictione ab alio accepta.

2. Resp. secundò: Ipse principalis constitutus procuratorem, seu mittens legatum suum est verè patrum, & contrahit cognationem. Sanch. l. 7. d. 59. num. 2. Ponc. l. 7. c. 39. num. 10. Cón. de mat. d. 32. du. num. 4. Laym. l. c. num. 5. Pirh. num. 37. Barb. l. c. Rebell. p. 2. l. 3. q. 6. Castrop. num. 16. Tanner. cit. du. 4. num. 70. contra Sanch. d. 59. num. 4. referentem plures alios. Henriq. l. 12. de mat. c. 11. num. ult. Covar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. num. 6. censentes neque principalem contrahere cognationem. Verùm pro respon. nostra decisum saepe esse à S. Congr. testantur Rebell. l. c. Francisc. Leon in thes. fori eccles. p. 2. c. 9. num. 63. item à Rota, testibus Verall. decis. 47. p. 3. Galat. in margarit. cas. v. cognatio. Riccio in pr. fori eccles. resol. 630. Accedit quoque ratio, nimirum, quod quilibet medio procuratore præstare possit, quæ potest per se ipsum, si alius prohibitus non est; Reg. qui potest. de reg. jur. in 6. nullibi autem prohibitum constituere procuratorem ad munus patrum exercendum; confirmatur quoque consuetudine & usu, quo passim videmus, Magnates per Legatos suos obire hoc munus, quam certè consuetudinem non permitteret Ecclesia, si tales medio procuratore patrum esse non possent, permitteret enim Baptizatum solennem celebrare sine patrum; jam verò si principales illi sunt verè patrum, contrahunt dictam cognationem; quia jura passim dicunt eam contrahi à patrum; sed & dum jura loquentia de hoc munere patrum denotant actionem personalem, qualis est tangere, tenere. V. G. c. limina 30. q. 1. ubi: propriis manibus retinendo suscepti: solum expriment, quid factum fuerit, vel describunt munus susceptionis è Baptismo, sicut ordinariè fieri solet (& fortè olim non erat tam usitatum hoc munus patrum obire per alium. Pirh. Laym. LL. cit.) non verò ferunt legem, quod aliter fieri non possit, Castrop. num. 17. quin & per consuetudinem induci potest, ut contrahatur hæc cognatio, etiam si quis non per seipsum, sed per procuratorem teneat baptizatum, ut ipse Sanch. num. 6. fatetur, cum quod per legem in-

duci potest, possit etiam induci per consuetudinem legitime præscriptam. Neque opponi potest primò, cognationem carnalem non posse contrahi, nisi actione personali patrum; quia generatio physica, in qua fundatur hæc cognatio, alteri committi nequit. Neque secundò, quod quis per procuratorem adoptare nequeat; quia id specialiter jure cautum est, qualiter nullibi in jure cautum est, quod nemo exercere possit munus patrum per alium; eo ipso autem, ut Castrop. l. c. quod susceptio baptizati non prohibetur per procuratorem fieri, decium est impedimentum cognationis spiritualis annexum susceptioni contrahi medio procuratore; & certè si cognatio hæc spiritualis imitari in omnibus deberet legalem, deberet quoque suscipiens baptizato esse longè major, sicut necesse est, ut adoptans adoptato sit major, ut eum generare possit, §. minorem natu. Inst. de adopt. neque tertio, quod cognationem hanc non contrahat constituens alium, qui nomine suo baptizat; quia in Baptismo constitui nequit procurator; nequit enim conferri nomine alterius.

Quæst. 211. An & qualiter parens baptizans aut levans ex Baptismo filium suum contrahat hanc cognationem.

1. Resp. primò: Tametsi Christianus laicus urgente necessitate baptizans aliquem contrahat cognationem spirituales, impedientem matrimonium cum baptizato ejusque parentibus, Sanch. l. 7. d. 62. num. 10. Laym. cit. c. 8. n. 5. Pirh. h. t. num. 39. cum jure expressum sit ex vero Baptismo contrahi cognationem spirituales, Tametsi etiam suscipiens infantem in privato Baptismo ex necessitate collato ex proposito obvendi munus patrum contrahat eandem cognationem. Pirh. l. c. Laym. l. 5. tr. 2. c. 9. num. 5. contra Sanch. num. 15. conjux tamen in necessitate baptizans proprium filium, vel etiam filiastrum vel filiastram suam, hoc est, privignum vel privignam suam, seu prolem conjugis suæ, non contrahit hoc impedimentum cognationis, adeoque jam debitum ab uxore sua petere potest sicut ante Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 8. num. 7. Pirh. h. t. n. 39. juxta c. ad limina, 30. q. 1. ubi etiam redditur ratio; quia nimirum inculpabile judicandum, ad quod necessitas impulit. Idem est, si parens baptizat vel suscipiat ex Baptismo ex uxore sua genitam prolem etiam extra necessitatem, laborans tamen probabili ignorantia juris vel facti; cum enim id solo jure ecclesiastico inductum sit & prohibitum, hoc jus ignorans, sicut excusatur à culpa, sic etiam excusatur à pena, qualis est cognatio contracta, quatenus privat jure petendi debitum; ita Sanch. l. c. Pirh. l. c. citans Tanner. ubi supra. du. 4. n. 7. Laym. n. 8. citans Nav. c. 16. n. 34. Suar. p. 3. q. 67. a. 8. Rodriq. Tom. 1. sum. c. 243. concl. 10. Idem est, si pater prolem conjugis suæ, vel etiam communem filium in Baptismo vel confirmatione tanquam patrum suscipiat, dum alius patrum haberi nequit. Sanch. l. 6. d. 26. n. 3. Laym. n. 7. Pirh. l. c. & alii communiter contra Henriq. l. 11. c. 15. n. 11. cum impedimentum non petendi debitum jure canonico statutum sit in penam; parens autem in hoc casu nihil delinquat, ut docet D. Thom. 3. p. q. 67. a. 8. ad 2. ubi: sicut generatio spiritualis alia est à generatione carnali, ita alius debet esse pater spiritualis à carnali, nisi necessitas aliud exigat.

2. Resp.

2. Resp. secundò: Quòd si parens extra casum necessitatis & dictæ ignorantia, adeoque temerè & malitiosè prolem ex conjuge sua genitam baptizet, vel è sacro fonte, aut in Confirmatione suscipiat, non tantùm graviter peccat; quia id severe prohibetur, c. 1. & 2. caus. 30. q. 1. ut Nav. c. 22. num. 9. Suar. loc. cit. Sanch. L. 7. d. 26. num. 7. Laym. cit. c. 8. num. 8. Pirh. nu. 39. cum communi; sed etiam propter spirituales exinde cum conjuge sua contractam cognationem non potest ab ea petere debitum, et si reddere teneatur. AA. iidem. Quamvis iidem asserant, dictum impedimentum debiti petendi nullo jure expresso probari posse, sed solo DD. consensu niti. Quin & cum Gl. in c. Si vir. h. t. v. debitum subtrahere. Cöniack. d. 34. du. 8. num. 69. Arg. c. de eo. 30. q. 1. expressè tenent contrarium, nimirum dictam penam non incurrì hodie, seu nullum conjugalis usus impedimentum inde oriri, quam sententiam probabilem censet Laym.

*Quest. 212. An si sponsus de futuro sponsæ suæ prolem baptizet, aut levet ex Baptismo vel Confirmatione contrahat cognationem spiritualem cum ea, adeoque impedimentum solvens sponsalia, & dirimens matrimonium contrahendum.*

1. Resp. primò affirmativè quòd ad Baptismum, etiam ob necessitatem ab eo collatum. Laym. loc. cit. num. 6. citans Nav. in man. c. 16. nu. 34. & L. 4. cons. 5. de cognat. spirit. edit. 2. Idemque procedere ait Laym. etsi nesciat esse prolem suæ sponsæ; eò quòd nihilominus verè baptizet, si habeat intentionem conformem Ecclesiæ baptizandi hunc hominem, quicumque is sit. Ratio autem, cur potius sponsus in eo casu incurrat dictum impedimentum, maritus verò ob eandem necessitatem baptizans prolem suam, non incurrat impedimentum petendi debiti hæc assignatur à Laym. num. 7. quòd marito post nuptias acquisitum sit jus petendi debitum, adeoque privatio hujus juris sit pœna, quæ non incurritur ab eo, qui culpam non admisit. c. discretionem. de eo qui cognovit. inter solutos autem seu nondum junctos matrimonio, dicta moralis inhabilitas ad contrahendum matrimonium, ex Juris Canonici dispositione non censetur pœna, quippe quæ etiam sine culpa contrahi potest.

2. Resp. secundò: Tametsi sponsus scienter

levans è sacro fonte vel confirmatione prolem sponsæ incurrat idem impedimentum; secus tamen esse videtur, si inscienter, seu nesciens esse prolem suæ sponsæ id faciat. Leym. cit. num. 6. cum Abb. in c. 2. h. t. nu. 4. Sanch. L. 7. d. 58. num. 7. eò quòd, ut volunt iidem, ad hanc cognationem contrahendam requiratur scientia & animus, quorum utrumque intali deficit; eò quòd patrinus determinatam intentionem habeat suscipiendi & spondendi pro hoc homine, quem animo concepit, adeoque error circa personam efficit, ut verè patrinus non fiat, & consequenter cognationem non contrahat. Nihilominus contrarium, nimirum dictum errorem, dnm quis levat filium sponsæ suæ, putans esse filium alterius, non impedire officium patris, consurgentemque ex eo cognationem, tenent Castrop. loc. cit. §. 2. nu. 5. Ponc. l. 7. c. 39. num. 9. & plures alii citati à Sanch. loc. cit. eò quòd levans filium videatur obligatus obligatus habere intentionem levandi præsentem, quicumque is sit, non secus ac baptizans tenetur habere intentionem baptizandi præsentem, quicumque is sit, ne baptismo illa sacra ceremonia deficiat. Quòd autem maritus levans per errorem filium uxoris suæ non impediatur à petitione debiti, non probat, illum non gessisse verum susceptoris munus, sed solum probat ex juris dispositione impedimentum petendi debitum illi sublatum esse, & meritò, cum hoc impedimentum, utpote superveniens matrimonio jam contracto, non decebat contrahi absque culpa.

*Quest. 213. Num Hæreticus baptizans, vel in Baptismo aut Confirmatione levans prolem Catholici ( contra quod prohibetur c. placuit, ib. q. 1. c. non licet, dist. 4. de consecrat. ) contrahat cognationem spiritualem.*

Resp. affirmativè; quia est baptizatus & legibus Ecclesiæ subiectus ( nullibi siquidem in jure redditur incapax gerendi hoc munus patris, et si id ei inhibeatur, & aliunde non obstat, quòd non sit capax instituendi baptizatum in Fide Catholica; cum hoc officium nunc ferè non incumbat patris, ut Laym. l. c. nu. 7. ) ac proinde capax cognationis spiritualis. Sanch. L. 7. d. 60. n. 2. ubi ait, hos omnes fateri. Et ex eo Pirh. h. t. n. 40. Secus se res habet cum infideli secundùm dicta supra.

## TITULUS XII.

### De cognatione legali.

*Quest. 214. Quid sit, & quotuplex adoptio, ex qua oritur cognatio legalis.*

1. Resp. ad primùm: Rectè definitur adoptio à D. Thom. communiter recepto in 4. d. 42. q. 2. quòd sit personæ extraneæ in filium vel nepotem legitima susceptio. Dicitur primò: *Personæ extraneæ* qualis hic intelligitur, quæ non est in potestate adoptantis, seu ex descendibus illius, sive aliàs sit consanguinea sive non. Dicitur secundò: *In*

*filium vel nepotem*; quia nemo potest adoptari in fratrem vel patrem. L. nec apud. c. de hered. inst. sub masculino autem hic comprehenditur & femininum, nempe sub nomine filii filia, sub nomine nepotis neptis. Dicitur tertio: *Susceptio*, quia per eam adoptans suscipit in filium vel nepotem, quem à natura non habet, & quo naturæ defectum supplet. Dicitur quarto: *Legitima*; quia legibus civilibus statuta, & Canonicis approbata fuit, adeoque etiam in ea forma à jure præscripta est servanda. Videlicet primò, ut adoptans sit mas. Feminis enim ex rescripto Principis non est concessum ado-